L

sic initium et perfectio. sicut bonum et melius. Lex divina in tribus distinguitur partibus; id est in historia, in preceptis et in prophetiis. historia est in his que gesta sunt. precepta in his que iussa sunt. prophetia in his que futura pronunciata sunt. Lex divina triplici sentienda est modo. primo ut historice, secundo ut tropologice iuxta moralem scientiam. tertio mistice iuxta spiritalem intelligentiam. Ergo sic historie oportet fidem tenere. ut eam et moraliter debeamus interpretari. et spiritaliter intelligere. Tria et vii. decem precepta sunt. sed tria ad amorem dei pertinent vii. ad homines. Illa tamen que ad deum pertinent. in una tabula scripta fuit. reliqua vii in secunda. In prima tabula tantum mandatorum hoc primum est. Diliges dominum deum tuum. In secunda: honora patrem tuum et matrem. hinc est quod et salvator scribe interroganti ait. quod preceptum est primum in lege. Audi israel dominus deus tuus. deus unus est. hoc primum est. secundum vero simile est huic. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Unum namque preceptum de prima tabula dixit. quod ad dei pertinet amorem. Alterum vero de alia tabula. quod ad hominis pertinet dilectionem.

70 De vii regulis legis.

Septem esse inter ceteras regulas locutionum sacrarum scripturarum quidam sapientes dixerunt. Prima regula est de domino et eius corpore. que de uno aut ad unum loquitur. atque in una persona modo caput modo corpus ostendit. Sic ysaias ait. induit me dominus vestimento salutari. quasi sponsum decoratum corona. et quasi sponsam ornatam monilibus suis. In una enim persona duplici vocabulo notata. et caput id est sponsum. et ecclesiam id est sponsam manifestavit. proinde notandum in scripturis quando spiritaliter caput describitur. quando et caput et corpus. aut quando ex utroque transeat ad utrumque. aut ab altero ad alterum. sicque quod capiti vel corpori conveniat. prudens lector intelligat. Secunda regula est de domini corpore vero et mixto. Sic et ad omnes loquitur scriptura. ut et boni redarguantur cum malis et mali laudentur pro bonis. sed quid ad quem pertineat qui prudenter legerit discat. Tercia regula est de littera et spiritu id est de lege et gratia. lege per quam precepta facienda admonentur. gratia per quam ut operemur iubemur. et quod lex non tantum historice. sed etiam spiritaliter sentienda sit. Namque et historie oportet fidem tenere. et spiritaliter legem intelligere. Quarta regula est de specie et genere. per quam pars pro toto. et totum pro parte accipitur. velut cum uni populo vel civitati loquitur deus. et tamen intelligat omnem contingere mundum. Nam licet adversus unam civitatem babiloniam per ysaiam prophetam dominus comminetur. tamen dum contra eam loquitur transit ad genus de specie. et convertit contra totum mundum sermonem. Certe si non diceret adversus universum orbem

in palam superius habundat esse de ... utroque; ad utrumque et alterius ad alterum. quibus ... facile reperitur.